

Pf XVII - 330
292

SECUNDVM
OPVS POETICVM
PETRI PAGESII,
Parrochi de Gensaco
& Sancto Lupo.

*Constans ex diversis Epigrammatibus &
Hymnis quadrimetris jambicis cum
Rithmate & quantitate versis.*

DEDICATVM
Domino Dom. Reverendissimo &
Illustrissimo Convenarum
Episcopo,



TOLOSÆ;
Excudebant IOANNES BOVDE, & I. IACOBVS BOVDE
Regis, Comitiorum Linguæ Occitanæ, & Aca-
demie Tolosanæ Typographi. 1671.

Dominion from Reassessing the
Linguistic Classification
of Bilingualism



July 19, 1942 - The Board of Directors of the American Legion Auxiliary, Inc., at their meeting in Washington, D.C., voted to accept the resolution of the Board of Directors of the American Legion, Inc., to support the proposed legislation to prohibit the manufacture, sale, and distribution of all tobacco products.

REVERENDISSIMO
 ET ILLVSTRISSIMO DOMINO DOM.
LVDOVICO RECHINE-VOISIN
 DE GVRON,
 Tullensi antea & iam Convenarum Antistiti
 meritissimo.

CRederem & reum me rerer (Reverendissime Antistes) si iam erga te meritissimum Praefulem Convenarum non me gererem sicut erga Reverendissimum Dom. Dominum de Praeflain antecessorem tuum me gessi. Ego ipse si quidem villicus & dispensator minorum Ecclesiasticorum in Ecclesius Parrochialibus de Gensaco & sancto Lupo, Dei gratia & antecessorum tuorum providentia factus & rationem illi redditurus officium mei Poeticum opus obtuli & dicavi in testimonium cultus obsequientissimus. Quod cum ille acceptauerit & persequendum annuerit, alius persecutus sum in honorem tui adventus spectatissimi. Illum retuleram quasi Phæbum musis scilicet Clero praefectum; at nunc te refero sicut Phœnicem ex eius abscessu tanquam ex Cineribus renovatum. Igitur.

Accipe, Conveneræ Presul meritissime gentis, Hæc tibi Phœnicis redivivi consona vero Carmina, quæ sacro jamdudum intenta labore, Musa per augustam meriti deducere laudem suscipit; Illa tui siquidem cum constet ovilis E numero, pateatque tui renovatio iuris Toti tibi devota subest, humilique fatetur

Obsequio fore deinde tuis fidissima iussis.

Tc precor interea servum verumque clientem
Annue me , placeatque pio tibi corde dicatus

Vnicus Eoas Phanix renovatus ad oras.

Vt bene sit notus cunctis Phoenicius ales,
Noscendum prius est ; specialis in ordine rerum
Suppositis constat multis natura, sed instar
Solis supposito Phœnix subsistit in uno,
Res mira humanaque capax obtundere mentes.
Non species datur vlla, suis quin integra constet
Suppositis, cuivis speciei hic conuenit ordo.
Quando sua tamen in specie subsistere solum
Phœnicem scimus , speciali munere solis
Hunc sibi præ reliquis animatis vendicat usum

Vnicus Eoas Phœnix renovatus ad oras.

Mira avis est Phœnix quovis mage mira volucrum
Agmine terrenæ cum cuncta capacia vitæ
Per generativum constent procedere semen ,
Vnicus ipse sui genitor, mirabile scitu ,
Ordine vitales miro procedit in usus.
Confectus siquidem senio,nec iam amplius auras ,
Passurus solitas , myrrhaeum præ ~~per~~ ager :
Quo super impositus pennarum verbere totum
Se cremat in cineres sensim conversus , & inde
Per radios solis confecto verme resurgit

Vnicus Eoas Phœnix renovatus ad oras.

Pleraque pars auium loca per diuersa morantur,
Frigida vel sicca (vt constat) placet aura quibusdam ,
Humida vel fervens aliis non displicet aura,
Sæpe serenato cernuntur in æthere multæ ,
Quandoque sedatas aliae volitare per vndas ,
Cernuntur quædam molli latitare sub herba ,
Plæræque elatos in ramis condere nidos.
Non ita Phœnicis modus est, quippe ordine sueto
Naturæ, Elysiis loca feligit æmula campis

5

Vt sit ibi longos vitam ducturus in annos

294

Vnicus Eoas Phœnix renovatus ad oras.

Fausta decem solus viuit per sæcula Phœnix
Temperie maris assidua solisque refectus;
Tempore tanto avibus nusquam conceditur ullis
Vivere, centenos ad summum vivitur annos.

Quippe vagæ oppressum ventis nimbisque per orbē,
Naturæ nocuos nequeunt evadere casus.

Vnicus Oceani Phœnix & Solis amicus
Nulla fatigatæ suffert incommoda vitæ,
Propterea specie, forma, meliore volatu,
Dotibus atque aliis volucres supereminet omnes

Vnicus Eoas Phœnix renovatus ad oras.

Quidni effet Phœnix tali regione quieta
Vividus & longum prosper cum cuncta perire
Aerii faciat dira inclemencia cœli,
Temperiesque bonam faciat producere vitam?
Pauca diu vivunt pennata animalia, Coruum
Vivere nongentos historia denotat annos.
Quidquid id est quamvis diuturno tempore corvus
Vivat abhorrenda putredine carnis anhelat.
Ergo cum impuræ corvus per pabula vivat
Materiæ, è contra vivit per pabula puræ.

Vnicus Eoas Phœnix renovatus ad oras.

De rara Eois vita Phœnicis in oris
Nil mirum, nam Phœbus ibi non nubila passus
Reddit odoratam lucis moderamine terram.
Oceanusque suis circumfluus vndique rivis
Irrigat auratos fæcundis roribus agros.
Ex rore Oceani sylvæ solisque calore
Arboreos nunquam possunt deperdere fructus,
Indeque vicinis restant bona multa colonis.
Talibus intentus, nec discessurus ab agris
Vivit perpetui veris faciatus odore

Vnicus Eoas Phœnix renovatus ad oras.

Cum solitæ degant volucres regionibus istis
 In quibus adversis agitata tumoribus aura
 Mox vento mox imbre , mala mox grandine terram
 Fœcundam in sterilem vertit , semotus ab istis
 Finibus alterna Phœnix regiōne potitur.
 Frigoris humoris siccī calidique rigores
 Nil possunt ibi , nam Phœbus regionis amicus
 Assiduo hanc reddit moderata luce quietam ,
 Et mare pacificum sedatis fluctibus ipsam
 Ambit , & hic longus felicia secula ducit

Vnicus Eoas Phœnix renovatus ad oras.

Nescio prisorum quæ de Phœnico feruntur
 Consona sint vero vel falso carmina vatum.
 Phœnicis tamen est descriptio mira , per ipsam
 Discere debemus mysteria magna figuram.
 Tum primum est Christus Phœnix , operāte superna
 Flamine qui natus novus est homo Virgine matre ;
 Postea in extructo Sanctæ Crucis aggere vitam
 Finiit & propria renovatus morte revixit.
 Succedens hodie noster de Præsule Præful
 Et valet & debet speciali munere dici

Vnicus Eoas Phœnix renovatus ad oras.

Allegorice Explicatio.

VNICUS in mundo , naturæ & in ordine Phœnix
 Te (Præful venerande) refert , poteritque referri
 Convēnea Eois Regiō fere consona terris
 Nempe Pyrenæi partem sortita decoris.
 Hinc post consumptū magnum sanctumquæ labore
 Pristinus abscessit Præful , tu consonus illi
 Electus superi succidis munere cœli.
 O Vtinam hic longum factō exemploque præire
 Gentibus & sacrum valeas conducere Clerum
 Sicut pennigeris summo præit ordine turmis

Vnicus Eoas Phœnix renovatus ad oras.



OPVS POETICVM

Incipit ab imploratione Divini
auxilii super his verbis.

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus
Sancti, Amen.*

Personæ nomen Trinæ in Deitate colamus,
Nomen & ad nostram tale vocemus opem.
Et Pater & Natus sanctus quoque Spiritus actus
Ad faustum nostros diriget omen, Amen.

Benedicta sit Sancta & individua Trinitas.
Summe Deus superis meritò Laudandus & imis
Numen toto animi robore laudo tuuin.
Et te in personis credens subsistere Trinum
Vnum confiteor cordis amore Deum.

Super his verbis.

*Adoremus Dominum quia ipse est Dominus
Deus noster.*

Non (homo) adorandum per vanæ mentis acumen
Sed fuso fidei lumine crede Deum.
Et fidei lumen faustum tibi proferet omen,
Infaustumque tibi mentis acumen erit.

Invocatio ad Spiritum Sanctum,
Super his verbis.

Spiritus sancti gratia.

Cuilibet auctori sancto spiramine cœli
Est opus ut faustum pergere possit opus.
Ducta per humanum infelix foret actio sensum,
Sed per Divinam prospера fiet opem.

Super his verbis cons.

Illuminet sensus & corda nostra.

Spiritus alme, tuo faciens munda omnia flatu,
Sancta tua ad versus flamina posco meos.
Et precor efficias me sensu & corpore mundo,
Ut mundo aversus sim, placitusque Deo.

Invocatio ad Sanctam Virginem
Super his verbis,


Sub tuum praesidium confugimus.

Sancta Dei genitrix, mundo fausti ominis auctri
Nos opis indigetes novimus esse tuæ.
Hanc igitur mihi confer opem, tu quippe poteris
Adiutrix, cuim sis Sancta Dei genitrix.

Invocatio ad omnes Sanctos,
Super his verbis.


*Omnis Sancti tui Domine nos ubique adiuvent.
Sancta cohors Superum, qui per divina tributa*

Continuam nobis ferre potestis opem.
 Ferte modo huic operi, quod solum carmina tendit
 De vestra & superi promere laude Dei.



Invocatio ad Sanctum Petrum, cuius author nomine gaudet.

IAm me, Pater, tuo cum gaudeo nomine, verum
 Effice suceptis verbis esse Petrum.
Cum tibi clave data cælestia limina pandis,
 Continua ad veros carmina pande modos.



Continuatio operis super aliquibus
 locis deductis ex 4. Evangelij in
 Processionibus Ruralium Parro-
 chiarum recitari solitis, tum primum
 super hoc Evangelio.

In Princio erat Verbum.

Verbum in Principio quod de Patre prodiit, ante
 Cuncta coæternum sæcula crede Patri,
 Hæc verbi nequeunt carpi mysteria mente,
 Ergo (homo) sincera talia crede fide.

Omnia per ipsum facta sunt.

Per sanctum Verbum Patris cælestis in imis

Omnia & in superis facta fuero locis.

Divino huic verbo subdamus corda, per illud

In nostris fiet cordibus omne bonum.

Et sine ipso factum est nihil.

Facta per æternum sunt cuncta patentia verbum;

Et sine eo factum credimus esse nihil.
Quid faciemus ad hoc? divino attendere verbo
Nos decet, ut non sit factio nostra nihil.

Lux in tenebris lucet.

Lux vera in tenebris luxit, cum Christus in alvo
Virginis est sumpto corpore factus homo.
Grande bonum venit tali de lumine, noctem
Expulit humana mente, diemque dedit.

Et tenebrae eam non comprehendenderunt.

Verè Iudæi tenebrae, qui corpore nostro
Concipere indutum non potuere Dèum.
Quippe illi tenebrae per dogmata falsa fuerunt,
Luxque suo Christus dogmate vera fuit.

Mundus eum non cognovit.

Factus homo Christus venit novo in ordine mundū
Nec mundus teatum corpore novit eum.
Quove modo mundus potuisset noscere Christum?
Quando est ille malo deditus, iste bono.

In propria venit

Mundus opus Domini est, cum Christus venit in illū
In propria adueniens tunc fuit ipse loca.
Et mundum vt reperit fœdatum crimine, tunc non
In propria, at potius venit in improbia.

Et sui eum non receperunt.

Ex Iudæ vt Christus Salvator in infima venit
Semine, Iudæos nouimus esse suos;
Cumque sui Christum non accepere, nec illos
Ipsè redux judex annuet esse suos.

Quotquot autem receperunt dedit eis.

Si digno aduentus Domini sit honore receptus,
Felix humanis gentibus omen erit.
Filio ab humano quicunque receperit illum
Æterni poterit filius esse Dei.

Verbum caro factum est.

Quam preciosa caro Christi de Virgine tracta!

Credenda est nostris vera medela malis.
 Corda è terrestri quæ restant mortua carne,
 Sacra caro Christi viuificare potest.

Et habittarunt in nobis.


Nobiscum in terris & donec desinat orbis
 Christus ad humanum vult habitare bonum.

Dignis corda modis aptentur : cordibus aptis
 Nedum habitator erit, sed benefactor erit.

Ei vidimus gloriam eius quasi & unigeniti & patre.
 Visa incarnati terris est gloria Christi,

Natus ut ex pura Virgine matre fuit.

A terris honor & cœlis est debitus illi ;
 Cum sit nedum hominis filius, immo Dei.



Super verbis alterius Evangelij,

Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem.
Angelus est Daemon, Gabriel est Angelus, ille
 Nuncius Inferni, nuncius iste Dei.
 Ille dolos Euæ, laudes tulit iste Mariæ,
 Hinc est vera salus, inde ruina fuit.

Ave Maria.

Verbi electa Parens Evæque aduersa fuisti
 Libera ab omnimodis Virgo Maria malis.
 Idcirco superis Gabriel emissus ab astris,
 Væ tibi non dixit, sed tibi dixit ave.

Gratia Plena.

Gratia Christiparæ fusa est in corde Mariæ
 Cœu liquida in largo flumine manat aqua.
 Infer (homo) quam scis fecundam munere cœli
 Qualiter in terris debeat illa coli.

Quæ cum audisset turbata est.

Cum fuit angelicæ turbata Maria salute,
 Virginis hunc motum crede fuisse pius.

Angeli & adversi possunt aliunde venire,
Ne (Pia mens) hære talibus, imo paue.

Ne timeas Maria, Invenisti gratiam, &c.

Nullatenus cum sis donis repleta supernis
Virgo pave, Gabriel cum tibi dixit ave.
Sed formidandum magis est hominique pavendum
Quem vœ flebilibus vexat in orbe modis.

Ecce concipies in utero & paries Filium, &c.


Mente prius Verbum conceptum Virgo salutem
Concipere ad nostram viscere rursus habet.
Conceptum pariet, talem pariendo puellum
Humanis pariet gentibus omne bonum.

Ecce ancilla Domini.

Responsa Angelicis adjecit humillima verbis
Se famulam Domini virgo professa sui.
Est ancilla Deo semper servire parata,
Et quando est culpæ nescia, mater erit.

Fiat mihi secundum verbum tuum.

Quam bene virgo refert, fiat! Deus optimus olim
Per fiat, mundo nobile fecit opus.
Ast opus hoc propriam per culpam infecit Adamus,
Virgoque per fiat tale refecit opus.



Super verbis consequentibus alterius
Evangel.

Cum natus esset Iesus, &c. Ecce Magi, &c.

VT venere Magi ad Christum per dona colendū
Quando Bethlemica natus in vrbe fuit.

Ipsum homines fidei donis & amoris adorent,
In Sacramento quippe realis adestr.

Dicentes ubi est qui natus est.

Magna Magis nati fuit inquisitio Christi,

Rarus inest hodie talis in orbe modus.
 Imo Sacramento Christum cum scimus adesse,
 Debitus à nobis non adhibetur honor.
Vidimus stellam eius in oriente & venimus, &c.
 Ceu coluere Magi conducti sydere Christum,
 Ducti & nos fidei luce colamus eum.
 Non satis est fidei dono se subdere Christo,
 Exhibito rursus debet amore coli.

Videntes Stellam Magi gauiſi ſunt gaud. M.
 Orta Magos fecit jucundos ſtella, videntes
 Hac duce fuſceptam pergere poſſe viam.
 Nobis quando fide ductis datur ire ſupernos
 Poſſe locos, debet gratior eſſe fides.
Et intrantes Dom. inve. puer. cum Maria. m.
 & procientes adoraverunt eum.

Quidni cum Christo Reges coluere Mariam?
 Nonne erat & mater digna Maria coli?
 Hic latrīæ cultus ſpectatur, honoreque tali
 Debuit haud mater, filius imo coli.


Apertis theſauris ſuis obtuler. &c.
 Cœperunt aperire Magi ſua munera Christo,
 Atque humili verum credere corde Deum.
 Sic homo pro digno debet dare munera cultu,
 Tum contrita magis corda aperire decet.

Aurum thus & myrrham.
 Cum data ſunt Christo dona hæc, Rex miſticus auro
 Thure Deus, mirra fit patefactus homo
 O preciosā bona hæc, meditandaque miſtica dona!
 Plurima ſunt nobis inde futura bona.

V E L.

Aurum, thus & myrrham.
 Est Deus vt Christus veniam det criminis & Rex
 Lege nova vt rigidum tollat ab orbe Iugum.
 Est homo qui noſtris poſſit ſuccurrere culpis,
 Et poenam ipsarum tollere morte Crucis.

*Et responso accepto insom. ne redir. ad Hærodem.
Ne magi ad Hærodem meditantem adversa redirent,
Interna moniti voce fuere Dei.
Ah ! quoties nos instruimur perversa vitare !
Et tamen adversas tendimus usque vias.
Per aliam viam reversi sunt in Regionem suam.
Terrenis exire decet, regum instar', ab oris,
Atque alia, nati quam sumus, ire via.
Absque fide humanæ vitæ qui carpsimus auras,
Per vivam cœlum nos decet ire fidem.*



Super verbis conseq. Evangel. 4.

Recumbentibus vnd. desc. appar. Iesus & exprob. &c.


Christus Apostolicis sociis apparuit, illis
Exprobans dubiam quam tenuere fidem.
Hinc qui respuerit fidei mysteria, nedum
Exprobatus erit sed reprobatus erit.
*Et dixit, cum in mund. vn. prædic. Evang.
Multum Evangelici prodest prolatio verbi,
Dandam ideo Dominus gentibus esse iubet.
Infer quando datur talis commissio, quantus
Christo amor & nostræ cura salutis inest.*

*Qui cred. & baptiz. fu. saluus erit.
Præcipitur nostræ baptisma necesse saluti,
Et baptismus tamen nil foret absque fide.
Absque fide stygio damnatio restat in orco.
Perque fidem supero restat in axe salus.
Et Dom. Iesus postquam loc. est eis Assumpt. &c.
Discipulis Christus diuino dogmate doctis
Per propriam supra sydera scandit opem.*

Hic sedet ad dextram Patris, Cœloque sedere
Nos faciet, rectum si faciamus opus.

Illi autem profecti præd. &c.

Tum cito Apostolici Domino cōperante ministri
Omnia divinum per loca dogma ferunt.
Et pro noseendo faciunt miracula Christo,
Vt moveant quos non dogmata Sancta mouent.



Super Evangelio de Die Visitationis B. Virginis.

Exurgens Maria abiit in montana.

Virgo ut fœta fuit verbo, sanctoque repleta
Flamine montanos fertur iisse locos.
Tum magis ad montem virtutis Virgo profecta
Affidue in tali monte morata fuit.

Cum festinatione.

Ceu suo in incessu virgo festina refertur,
Festinos simili nos decet esse modo.
Ad montem virtutis iter celeremus, & istud
Deserta vitii valle sequamur iter.

Vt audivit salut. M. exultavit &c.

Cum dedit Elizæ progressa Maria salutem
Clausus adhuc vtero filius exiliit,
Ipsaque divino plena est spiramine mater;
Commodiorem illi ferre nequivit opeim.

Benedicta tu in mulier.

Humanas inter præstat dignissima matres
Electa æterni mente Maria Dei,
Illæ hominem solum generant, istique tributum est,
Non hominem solum sed generasse Deum.

Et Benedictus fructus ventris tui.
 Mystica terra fuit virgo sacra, dæmonis vlo
 Non maledicta dolo sed benedicta Deo.
 Quando Deo benedicta fuit, conceptus & ortus
 Ex illa fructus num benedictus erit?

Super his verbis Evangelii Dominicæ
I. Adventus Erunt signa, & Sole &
Luna & aliis verbis consequentibus.

Erunt signa.

IN Sole & Luna ac stellis cum desinet orbis
 Sunt ultra solitum signa futura modum.
 Si fuerint homines insontes, signa favoris,
 Si fuerint fontes signa pavoris erunt.

Et in terris pressura gentium.

Motio magna polo si debet inesse superno,
 Et pressura hominum debet inesse solo.
 Quidni homines surgat hoc tempore contra scipios
 Ausi quotidie surgere contra Deum?

Sol obscurabitur.

Sol obscurandus (per solem intellige Christum)
 Iudicij extremo creditur esse die.
 Ipse modo est clarus divini luce favoris,
 Et tunc obscurus nube rigoris erit.

Luna non dabit lumen suum.

Lunæ instar consueta precum dare Virgo suarum
 Lumina nobis amplius vlla dabit.
 Quippe obcurati cum cessent lumina solis,
 Mutua cessabit lumina Luna dare.

Stellæ cadent de cœlo.


Quando per inversos audis motusque tremendos

Casura è superis sydera cuncta globis.
Finitura die hac credas suffragia divum,
Quæ non infistent amplius ante Deum.

Virtutes cælorum movebuntur.

Magnus erit motus superis virtutibus, atque
Mentibus humanis motio magna fuit.


Motio ut ista fuit patrandum ad crimen, & ille
Pro castigando crimine motus erit.



Super verbis Evangelij Dom. 2. Adv.

Surdi audiunt, caci vident, claudi ambulant.


A Vditum surdis, oculorum lumina cæcis
Et gressum claudis reddere nemo potest.
Inde Deum decet hoc operantem credere ~~nisi~~ Christum
Conveniunt soli talia facta Deo.



Super verbis Evangelij Dom. 4.

Videbit omnis caro salutare Dei.

A Dventus Christi nobis exponitur, vnde est
Humano generi vera futura salus.
Magnum erit in mundo præsentem cernere Christū,
Viuo corde Deum credere, majus erit.



In vigilia Nat. Dom. Super his verbis.

Ioseph Fili David, Noli timere accipere M. conj.
NE timeas Ioseph sponsam acceptare Mariam,
Non est quin dotes augeat illa tuas.
Innuptus cum sis, animoque & corpore castus
Cum nuptus fueris tum mage castus eris.

Levate capita vestra.

Factus homo & positus divino munere terris
De terris animum vertat ad astra suum.

Magna erit, ad terras si vertat corda, ruina;
Si vero intentus vertat ad astra, salus.

In die Natalis Domini Filius datus est nobis.
Hoc felice die intacta de Virgine natus
Ad nostrum colitur Christus in orbe bonum.
Quotidie sacris altaribus ipse colatur

Cælica qui nostris mentibus esca datur.

Puer natus est nobis.

Quis credat puerum reparanda ad crimina natum?
Hoc ad opus magno numine cum sit opus.
Cum tamen ad nostram pateat natum esse salutem,
Ipse puer verus creditur, estque Deus.

Super his verbis.

Verbum caro factum est.


EX Patre procedens ante omnia secula verbum
Est novus assumpto corpore factus homo.
Cur? ut homo servus peccati desinat esse,
Et novus incipiat filius esse Dei.

*Super verbis Evangelij de Festo
Sancti Stephani.*

Ierusalem quæ occidis Prophetas.

Cælesti à Domino missos Iudæa Prophetas
Tradidit ad sœvam mota furore necem.
O quam ingrata fuit veram spreuuisse salutem!
Quam fera pro seniu deseruisse fidem!


Et lapidas eos qui ad te missi sunt.
Nil mirum Stephanum fera si Iudea refellit,
 Saxique innumeri turmine quassit eum.
Saxea quippe fuit, saxo quoque durior ipso
 Quæ renuit dulci subdere colla iugo.



Super verbis Evangelij de Feste Sancti Ioannis.

Exist sermo inter fratres quod Disc. ille non mor-
Intra Apostolicos exorta est quæstio fratres
 Charo an Discipulo mors subevnda foret.
Quamuis mansurus dicatur mansio talis
 De scitu est superi consilioque Dei.

Sic cum volo manere quid ad te.
Quando cura alicui specialis traditur, eius
 Non causam à Domino querere debet homo.
 Sed mage commissæ sibi curæ insistere debet.
 Scit Deus ad placitum tradere dona suum.




Super verbis Evangelij de Feste Beati Petri.

Quem dicunt homines esse filium hominis.
Discipulis petitur qualem gens cætera Christum,
 Cum sit vere hominis filius, esse putet.
 Illa hominem solum credit quæ sensibus, hæret,
 Si fidei hereret, crederet esse Deum.
Respondit Petrus, Tu es Christus Filius Dei.
 Respondit Petrus, Christi ad quæsita fatendo
 Quod si n̄ dū hominis filius, immo Dei.

Esse homo per sensum Christus cognoscitur, & per
Divini radium luminis esse Deus.

Beatus es Sim. Bari. quia caro & sanguis, &c.
Non carne humana sed cœli lumine motus
A Domino fœlix dicitur esse Petrus.
Noxius est' carnis motus cœlique benignus,
Hinc animus fœlix evenit, inde miser.

Tu es Petrus & super hanc Petram, &c.
O Petre per Christum cum sancta Ecclesia solo
In te præ sociis ædificata fuit.
Grande onus impositum est portandaque maxima
moles
Iam bene te Petram dicere Petre potes.



De Beato Paulo, super his verbis.

Tu es vas Electionis.

VAs foetoris erat Paulus tibi, Christe, Resistens
Atque in Discipulos cæde minisque furens.
Sed præstante Deo fætor fuit ille furoris
Optimus in Christum versus amoris odor.
Per Evangelica dicta delean tur nostra delicta.
Nostra Evangelio deleri crimina multi
Dummodo perceptum constet in aure, putant.
Credo Evangelicus quod delet crimina textus
Ad rectum auditus si redigatur opus.

Hymni quadrimetri Lambici cum Rithmate
 & quantitate de præcipuis anni Festivita-
 tibus & peculiaribus Cœlistibus.

Ac primum de Adventu Domini.

IESV Creator syderum
 Divina cuius charitas
 Ad se per omen prosperum
 Mentes reduxit perditas.

In hac die quam cœpimus
 Intende nostro ritui,
 Et sume quas devovimus
 Tuo preces Adventui.

Primus parens defeccrat
 Perfectionis ordine
 Ad quam Deus direxerat
 Natos ab cius semine.

Sed tu dolens in vespere
 Successionis temporis
 Dignatus es succurrere
 In carne sumpti corporis.

De Patre natus cœlitus
 Patrem tamen non deserens
 Es natus h̄ic humanitus
 Culpæ medelam deferens.

Quando solutos crimine
 Nos (Christe) per te novimus,
 Facto viro de Virgine
 Laudes tibi persolvimus.

Honor tibi sit Trinitas
 Patri simul Paraclito
 Natoque cuius charitas
 Subvenit orbi perduto.

De Natali Domini.

O Christe proles æmula
 Summi tonantis ætheris
 Qui natus ante sæcula
 In seculo renasceris
 Memento quod de virginē
 Corpus beatum sumpseris,
 Bonoque nobis omniē
 Natale sanctum feceris.

Verax salus es omnium
 Tuumque Genti cui libet
 Natale testimoninū
 Huius salutis exhibet.

Natalis huius notio
 Primum fuit Pastoribus,
 Et Angelorum concio
 Audita lætis cantibus

Nos qui tuum cum Cælicis
 Natale (Iesu) pangimus
 Plenis eorum canticis
 Festiva nostra iungimus.

Ex his (Redemptor sæculi)
 Prodeße fac nos cantilicis
 Tibique simus seduli
 In laudis actionibus

Natosque corporaliter
 Fac nos renasci spiritu
 Ut liberemur Iugiter
 Mortis ferocis impetu.

Summo Patri sit latrā
 Sancto simul cum flamine,
 Tibique Iesu gloria
 Qui natus es de Virginē.

Aliud de natali & Circumcisione.

O quanta verbi ~~lumen~~ *Gratia*
Vt ad lavanda crimine
Humana quævis noxia
Fiat caro de Virgine !

In hac die Nativitas
Incorporati numinis
Insignis & Fœcunditas
Laudatur almæ Virginis.

Cohors in altis cœlica,
Terris chori fidelium
Festiva promunt cantica
Cum virgo gignit filium.
O ! Christe fili Virginis
Attende nobis dulciter,
Tuique laudi nominis
Fac nos vacare iugiter.

In carne cum iam nascerit
Fac nos renasci spiritu
Vt liberemur inferis
Diræque mortis impetu.

Partus Beatæ Virginis
Christique circumcisio
Cuiusque nobis criminis
Condigna sit remissio.

De Festo Epiphaniæ.

CÆleste sydus emicat
Novo coruscans lumine
Verbumque Patris indicat
Natum sacra de Virgine.

Quem Rex cruentus impio
 Motu furens vult perdere,
 Huic tres Magi in præsepio
 Venere dona promere.

Et versus ad Bethleemicum
 Ducti locum se conferunt,
 Nouoque Regi mysticum
 Donum salutis deferunt.

Per thus quod illi traditur
 Deus potens est creditus,
 Auroque Rex ostenditur,
 Mirra sepulchro subditus.

Iesu nouo qui Regibus
 Apparuiti sydere
 In his viis terrestribus
 Dignare nos conducere.

Corusca stella Regibus
 Sicut reluxit prævia,
 Fidesque fit lux mentibus
 Ad euitanda deuia.

Te (Christe) natum pangere
 Decet canoris laudibus,
 Tribus nouo qui sydere
 Apparuiti Regibus.

De Quadragesimali jejunio.


S Eruemus hæc jeunia
 Dono superno gratiæ
 Ad vera testimonia
 Actusque pœnitentiæ,
 Restat procum clamoribus
 Augenda Pœnitentia
 Ut sit superna cordibus
 Nostris adaucta gratia.

Clemens Deus qui debiles
 Nos mente scis & corpore,
 Admitte voces flebiles
 Fusas in isto tempore.

Nos absque te nil possumus
 Quidquam boni producere,
 Robur deinceps quæsumus
 Nobis velis infundere.

Vt voce nostra supplice
 Et casta per ieiunia
 Te consequamur auspice
 Beata cœli Gaudia.

Tibi Beata Trinitas
 Ab ore sit laus omnium
 Et firma mentis sanitas
 Nobis sit hoc jejunium.



In honorem Crucis.

VExilla Regis prodeunt
 Et pro salute mentium
 Procul fugaces exeunt
 Ab orbe cursus hostium.

Christus crucis victoria
 Expulsit hostes quoslibet,
 Et eius adiutoria
 Crux sancta nobis exhibet.

Impleta verè credimus
 David fidelis carmina
 Et per Crucem cognoscimus
 Delere Christum crimina.


Arbor Crucis dignissima
 Cui pro ferendis fructibus

Christus pependit Victima
Tollens reatum sotibus.

O mira Christi Charitas,
Qui sponte sumpto corpore,
Poenas sibi non debitas
Est passus hac in arbore.

Aue verenda gentibus
Crux sancta, lignum nobile,
Lignum salutis omnibus
Malis mendendis utile.

Summo Patri sit gloria,
Tibique sancte Spiritus,
Christoque qui victoria
Crucis triumphat cœlitus.



De tempore Paschali.


Festiva Paschæ tempora
Ritu recurrent annuo,
Pascenda non sunt corpora
Sed corda sacro Pascuo.

Christus pia dulcedine
Inest sacris altaribus
Pro diluendo crimen
Paschalis esca mentibus.

Est agnus ipse providus
Cuius paratus gentium,
Crucisque ligno torridus
Nutritioni mentium.

Paschalis agni sumptio
Fiebat olim corpore;
Agni noui commestio
Fit mente, tali tempore.

O Christe Pascha mysticum
 Nobis paratum libere,
 Digno paratu cælicum
 Fac nos cibum te sumere.
 Paschale cum sis gaudium
 Auerte mundi tædia,
 Transfer dolores cordium
 In vera cœli gaudia.
 Iesu tibi sit gloria
 Qui morte mortem conteris,
 Potente cum victoria
 Victor redux ab inferis.



De Ascensione Domini.

IN hac Die terrestria
 Liquisse Christum discimus
 Et eius ad cælestia
 Ascensionem pangimus.
 Mundo sibi infensissimo
 Moratus est humanitùs,
 Trinoque cum trigesimo
 Anno rediuit cælitùs.

Pœnis adeptum gloriam
 Oportet ipsum credere,
 Et per Crucis victoriam
 Sedere Patris dexteræ.

Nullis datur mortalibus
 Habere cœli gaudia
 Quin ante sint pro viribus
 Humana passi tædia.

O Christe nostri criminis
 f. liberæ

Amore semper sistere.

Fac nos pati discrimina
Mundana pro te fortiter,
Ut nostra scripta nomina
Vitæ libro sint iugiter.

Summo Patri sit gloria,
Tibique sancte Spiritus,
Christoque cum victoria
Crucis reverso cælitus.

De die Pentecostes.

CVm Pentecostes annui
Dies recurrent prospere,
Debetus omnes cernui
Iucunda festa ducere.

Iucunditatis munera
Venere nobis cælitus,
Facto sono per æthera
Tonantis instar Spiritus.

Persona quæ paraclitus
In Trinitate dicitur,
Miros salutis exitus
Egisse mundo creditur.

Ab axe venit cælico.
Linguis novis micantibus
Et igne fuso mystico
Apostolorum cordibus.

Quos novit esse sensibus,
Humanitatis frigidos,
Effecit ipsos flatibus
Divinitatis fervidos.

Linguis loquentes omnium
Virtute sancti Flaminis,
Fidele testimonium
Dedere Christi nominis,
Precamur o Rex cælice
Deus, per ipsum Spiritum
Accende nos & effice
Verum salutis exitum.
Sit laus Patri qui Filium
Emisit orbi cælitus
Fuditque pro fidelium
Salute dona Spiritus.

Veni Creator versus cum Rithmate
& quantitate.

Veni Creator Spiritus
Mentes tuorum visita
Fusaſque nobis cælitus
Flammas amoris excita.

Tu pro medela mentium
Es ſpiritualis uictio
Et ad dolores gentium
Æterna confolatio.

Index paternæ dexteræ
Nobis præis veriffimus,
Et ſeptiformi munere
Remunerator optimus.

Accende flammas mentibus
Vivumque lumen imprime,
Amore fuso cordibus

Clemens in orbem respice
Ut pacis almæ fructibus
Te perfruamur auspice.

Da mentibus fidelium
Patrem supernum noscere
Eiusque scire Filium
Et spiritum te credere.

Cum Patre, nato gloria,
Tibique, cuius cælitus
Precamur adiutoria,
Veni Creator Spiritus.

De Sanctissima Trinitate.

O Trinitatis unitas
Nulli datur te carpere!
O unitatis Trinitas
Solum datur te credere!
Vnum Deum te credimus
Summo potentem numine,
Omnes modos disponimus
Tuo regendos ordine.

Tuo Beata Trinitas
Hærede fas nos ordini,
Et exhibere debitas
Laudes supremo numini,
In Patre, Verbo, Spiritu
Vnum Deum te credere,
Et pro salutis exitu
Viva fide procedere.

Vni Deo sit Gloria

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

Celebre per misterium
Carnis suique sanguinis
Christus Redemptor omnia
Dedit medelam criminis.

De Patre personaliter
Egressus orbi prodiit,
Sacraque corporaliter
De matre natus exiit.

Instante mortis tempore
Legis peractis ritibus
Et distributo corpore
Totum dedit se fratribus.

Perfunctus isto munere
Confecit Eucharistiam
Quam nos oportet sumere
Per labis abstinentiam.

Panis meri substantia
In corpus atque sanguinem
Conversa, Christi gratia
Nos nutrit hunc per ordinem.

O mira Christi Charitas
Mentes seipso pasceere!
Grates agamus debitas
Tali refecti munere.

Ergo levatis mentibus
Ut assequamur gratiam,
Et derelictis sensibus
Sumamus Eucharistiam.

Præsta Beata Trinitas
Mens nostra Christi corpore
Refecta laudes debitas
Persolvat omni tempore.

De Beata Virgine.

LAUDUM precumque munere
Colenda Virgo Virginum
Est lucis orto sydere
Et ante lucis terminnum.

Cœli coluntur hospites
Sed Virgo magnis ritibus
Debet coli, quæ cœlites
Præcedit Cœli dotibus.

Patris superni Filiam,
Verbi parentem, Spiritus
Sponsam, per hyperduliam
Divi verentur cœlitus.

Honore tanto Cœlites
Quando colunt hanc Virginem
Nos huius orbis hospites
Talem sequamur ordinem.

Et immorantes seculo
Pressi necessitatibus
Laudemus ipsam sedulo
Ut præsto sit laudantibus
Per omne seclum debita
Sit laus superno Numinis
Deoque laude reddita
Sit laus Mariæ Virgini.

De Visitatione eiusdem.

CÆli repleta dotibus
Verbumque gestans viscere
Lætis Elizam cursibus


Venit

Venit Maria visere,
 Hæc chara Visitatio
 Multum Ioanni profuit
 Quem sanctitas cum gaudio
 In ventre matris imbuit.

Fælix per ipsam Virginem
 Successit alter exitus,
 Eliza plenitudinem
 Sancti recepit Spiritus.

Nos pro medela criminis
 Maria rursus visita,
 Sancti superni numinis.
 Virtute nobis indita.

Præsta Beata Trinitas
 Ut nos Maria visitet
 Statumque mentes perditas
 In meliorem suscitet.



De Assumptione.


SVblimis inter virgines
 Sursum Maria assumitur,
 Supraque quosvis ordines
 Vicina Christo ponitur.

Qualis Mariæ dignitas !
 Quæ Virgo semper extitit,
 Nec ipsius maternitas
 A Puritate destitit.

Idcirco mente & corpore
 Elata cælis assidet,
 Pro castitatis fœnore
 Æternitatem possidet.
 Tuis, ô Virgo Virginum;

Hæcere fac vestigijs,
Contraque motus criminum
Defende nos suffragijs.

Sit laus Deo, mirabilem
Assumptionem Virginis
Qui fecit, & perutilem
Bonique reddat ominis.



De Dedicatione Ecclesiarum.

SAcras domos Ecclesias.
Anni recursus quilibet
Ad obtinendas gratias
Nobis colendas exhibet.

Hic nostra sit frequentia
Laudum precumque motibus
Quando Dei præsentia
Largis adest affectibus.

Delentur istic crimina
Summo iuuante numine,
Laudum modo precamina
Fiant decenti carmine.

Divina nobis gratia
Procedit ex Ecclesiis,
Hic acta pœnitentia
Laxat reos à noxiis.

Sit laus Deo qui munia
Ecclesiarum respicit
Et intra sacra mænia
Factas preces non despicit.

De Sanctis omnibus.

CÆtus superni mentium
Laudes Tonanti concinunt
Et pro salute ~~gentium~~
Orare numquam desinunt.

Speranda sunt suffragia
Ab his Beatis mentibus,
Interna si contagia
Totis vitemus viribus.

Tendamus illis dexteras
Mane simulque vespere
Sortesque nobis prosperas
Debemus inde credere.

Detur Deo laus debita
A Christianis omnibus
Deoque laude reddita
Sanctis honor sit omnibus.

De Nativitate Sancti Ioan. Bapt.

Baptista Christi prævius
Est sanctus Eminentia
Cuius supernus nuncius
Prædictum ortum gratiæ.


Natus refulsa gratia
Et quotquot ex origine
Nascuntur adam noxia.
Patris nigrescunt criminæ.

Aetus Ioannes gratiæ
In orbe miros edidit,
Et Spiritu Profetiæ

Præcursor ô sanctissime,
 Accurre cæcis mentibus
 Crassisque vatum maxime
 Dissolve nos ambagibus.

Vt ille cuius nuncius
 Fausto fuisti munere,
 Nostro velit quantocius
 In corde gressus ponere.

Præsta beata Trinitas
 Ut causa cesset tædij,
 Ioannis & Nativitas
 Sit causa nobis gaudij.



De Beato Ioanne Ap. & Evang.

Divi Ioannis dotibus.
 Quis non honorem deferat,
 Et Cherubinis cætibus
 Quis non Ioanneim conferat.

Hi sortiuntur ordinem
 Felici eminentiæ
 Habentque plenitudinem
 Magnæ Dei scientiæ

Magna Ioannes claruit
 Terris inminentia
 Et cæteris excelluit
 Apostolis in gratia.

Electus à piissimo
 Iesu fidelis extitit,
 Et in statu purissimo
 Sincerus usque perfstitit.
 Dignus fuit sodalibus
 Plus à Magistro diligi

Et in novos pro dotibus
Castis honores erigi.


Cœnæ supremæ tempore
(O grande privilegium)
Christi cubans in pectore
Exhaussit Evangelium.

Occulta rebus mysticis
Exhaussit hinc mysteria
Non Cherubin in cœlicis
Maiore fuit scientia.

In fine Christus vltimo
Apostolis hunc prætulit,
Et vnico charissimo
Matrem Mariam transtulit.

Fac Christe n'os attendere
Castas Ioannis semitas
Vt sic queamus carpere
Dotes pudicis debitas.

Sit laus Deo, laus altera
Divi Ioannis dotibus,
Et sors redundet prospera
Castis quibusuis gentibus.



De Beatis Apostolis Petro & Paulo.

LVX VNA Petrus emicat
Paulus nitet lux altera,
Ambos dies hæc indicat
Præclara mundi sydera
Sol Christus author luminis
Dono benigno gratiæ
Soles minoris ordinis
Concessit hos Ecclesiæ.
Romana gaude Curia,


Te præ beatis omnibus
Horum duorum gloria
Facit beatam gentibus.

In te Crucis victoria
Petrus beatus claruit,
Et Paulus ensis gloria
Petri sodalis floruit.

Ne Roma solum gaudeat
Sed plaudat omnis natio,
Et gaudium resplendeat
Quò constat horum passio.

Per hos duces Ecclesia
Totum per orbem spargitur
Et contra quævis noxia
Semper triumphans cernitur.

Laudes oportet reddere
Vni Deo qui talium
Apostolorum munere
Cætum regit fidelium.




De Beato Petro solo.

OPtre quæ sit tradita
Tibi Potestas noscitur
Ex clave per quam subdita
Cælestis aula panditur.

Virtute sceptri mystici
Quodcumque terris strinxeris
In arce summa cælici
Strictum manebit ætheris.

Quidquid solutum feceris
Decet solutum credere
Et inde judex crederis
Mundi peracto vespero.

Christo canamus gloriā
 Divina qui per flamina
 Et per Petri Vicariam
 Open remittit crimina.



De Sancto Stephano.

Hic Martyr in Levitico
 Miranda fecit ordine
 Amore fretus cælico
 Plenusque fortitudine.

Primus refertur omnium
 Effusione sanguinis
 Dedisse testimonium
 Fidelē Christi nominis.

Ab hoste diro fortiter
 Cæsus petrarum grandine
 Remissionem fortiter
 Rogavit ex hoc crimine.


Ob hoc nequaquam concitus
 Rogansque parcī crimina
 Intranda vidit cælitus
 Sibi patere limina.

Et nos ab illo discimus
 Donare crimen hostium,
 Cœlestē si prætendimus
 Patere nobis ostium.

Tuis, ô Martyr inclite,
 Hærere fac nos actibus
 Possimus ut te fospite
 Donare culpas hostibus.

Sit laus Deo, laus altera
 Huic martyri dulcissimo,

Nobisque erit fors prospera
Donando culpam proximo.



De Beato Laurentio.

Martyr Dei Laurentius
Ingressus est tyrannica
Flamma domari nescius
Flamma perustus ælica.

Hunc Decius quem sciuerat
Sacras opes expendere,
Raptor malignus imperat
Eas sibi pretendere.

Ni poscitis obtemperet,
Et ni lubens argenteas
Opes iubenti liberet
Pœnas minatur igneas.

Leuita fidus obtulit
Greges amicos pauperum,
Quæis debitas iam contulit
Opes Sacrorum munerum.

Tunc Rex furens & perditus
Abiuit, ac incendium
Iussit parari concitus
In martyrem Laurentium.

Subiecta iussu Decii
Crates fuit carbonibus
Et membra sunt Laurentii
Adusta vivis ignibus.


Quem persecutor vincere
Flammis acerbis institit,
Et ipse plus in munere
Sancti ministri perstitit.

Quanto fuit tyrannico
Major ministro lævitas,
Tanto fuit Levitico
Major ministro firmitas.

Nusquam nocens vis extera
Ignis fuit Laurentio,
Flagrabat intus altera
Cælestis ignis vstio.

Nobis Deus det mentium
Flamas truces extinguere,
Qui martyrem Laurentium
Tormenta fecit vincere.

Suummo Deo sit gloria
Laus post Deum Laurentio;
Nobisque sit victoria
Ab igne culpa noxio.



De Sanctis Innocentibus

Regis novi cum Regibus
Prænota sunt natalia,
Cunis minavit omnibus
Hærodianus prælia.


Perire, quoſquos quæſijt,
Fecit furore percitus,
Sed invenire nescijt
Natum profectum cælitus.

Qua fraude Christum perderet
Vis cuius & potentia
In nil cito reduceret
Humana quæuis fortia?
Eruſtra fuit Crudelitas,

Hærodis in puellulos,
Successit illi vanitas
Mactando tales parvulos.

Saluete sancti parvuli
Cruenta passi funera,
Tormenta vobis sæculi
Acquisierunt sydera.

Sit laus Deo, laudatio
Sanctis sit innocentibus,
Quos dira persecutio
Abstraxit almis matribus.



De Beato Dominico.

DEcantet orbis debitas
Laudes beato Dominico,
Miranda cuius sanctitas
Signo refulxit mystico.

Canem Parens in viscere
Est visa ferre parvulum,
Qui per facem succendere
Tendebat orbis circulum.

Hac visione Dominicus
Veræ sator scientiæ,
Et prædictor cælitus
Prædictus est Ecclesiæ.

De ventre matris editus
Præclara testimonia
Dedit, deoque deditus,
Mundana spreuit omnia.

Sacer patens in ordine


Et dux fuit piissimus
Patrum, suo de nomine
Quos Dominicanos dicimus.

Hic ordo multum profuit
Ecclesiæ, quæ nescia
Vinci, per ipsum floruit
Ab hæresis fallacia.

O Patriarcha Domnico
Effectus hæres iugiter
Possessionis cælicæ,
Te poscimus fideliter.

Vt in tuis qui fulciunt
Fidem suam suffragiis,
Deoque vere seruiunt,
Cœli fruantur gaudiis.

Laudes Deo sint vnico,
Deoque dictis laudibus
Laudes beato Domnico
Puris Canamus cordibus.



De Beato Ignatio Societatis Iesu Fundatore.

Devota gens Ignatium
Læto celebret carmine,
Per quem viget consortium
Iesu vocatum nomine.

Dicitus secundo nomine
Loyala, dictus insuper
Ignatius; Fausto omine
Hoc venit illi desuper.

Credendus est Ignatius
Ab igne quando dicitur,
Ignis flagrans, innoxius
Quo nostra mens accenditur.

Vere beatos edidit
Ignis modos, cum frigida
Humana corda reddidit,
Amore Iesu feruida.

Modus salutis mentibus
Evenit ex Ignatio,
Et cius ex progressibus
Nobis inest instructio.

Deum colamus laudibus,
Sanctoque laus Ignatio
Per quem locis terrestribus
Iesu viget laudatio.

De Beato Xauerio Ignatijs sodale & In-
diarum Apostolo.

IN orbe ceu Europico,
Fuit vigens Ignatius
Virtute tali in Indico
Sparsit fidem Xaverius.


Illuc superno flamme
Thomas ut alter prodiit,
De Prædicando nomine
Iesu nequaquam desit.

Mirum per hoc se præbuit,
Tractas ab ignorantia
Gentes feroce's imbuit,

Vere Dei scientia.

Ignatio Xauerius
Vnitus est in seculo,
Et nil fuit sincerius
Hoc vnionis vinculo.

Verum nouo misterio
Nunc vniuntur fortius
Per gloriam Xaverio
Vnitus est Ignatius.



De Beato Ludouico Francorum Rege.

Rex Ludovicus nomine,
Nonus beato Franciam
Rexit fertur omne
Per singularem gratiam.

Blanchæ piis affectibus
Parentis ex infantia
Erectus in virtutibus
Mira refulsa gratia,

Magna fuit constantia
Miraque fortitudine
In Sarracenos prælia
Christi tulit pro nomine.

Vastante peste exercitum
Maiore sese præbuit
Amore Christi percitum
Fideque nunquam defuit.

Ergo verenda sanctitas
Est Ludoici Gallicis
Ut certa sit securitas

Nobis ab omnis hosticis.

Regem Deum potissimum
Summum precari conuenit
A quo bonum plenissimum
In omne regnum provenit.

Vt Ludouico gloriam
Qui contulit sanctissimo
Ab hostibus victoriam
Det Ludoico maximo.

O Rex Deus qui præcipis
Summis quibusvis regibus
Huiusc Reges principis
Hæcere fac virtutibus.

Tum Ludoicum Gallicum
In sede celsum Regia,
Tuere nobis unicum
Per cæli suffragia.

Serva piis affectibus
Hoc præsulem de nomine
Qui Convenarum finibus
Sacra ministrat ordine.

Sit laus Deo, suffragiis
Qui Ludoici ~~Gallici~~ cæli
Conseruet à Contagiis
Regni ministros Gallici.



Hymnus Sapphicus de beata Maria Rosa.

Sicut assumptam super astra cæli
Virginem matrem colimus Mariam,
Alteram sanctam merito colamus
Iure Mariam.

Hæc Marianas imitata dotes
Nomen ad iustum retulit Mariæ.
Post Rosæ nomen referens Rosarum
Flavit odores.

Sicut est diris Rosa nata spinis,
Hanc Rosam culpa patris atque matris,
(Qui velut spinæ sobolem cruentat)
Novimus ortam.

Cum Rosa albescit simul & rubescit,
Ista sic Virgo fuit alba primum
Dotibus castis, & amore Christi
Rubra tetendit.

Laus Deo, matri quoque laus Mariz,
Laus Rosæ, cuius meritum requirit
Festa, nam sanctis cumulata donis
Possidet astra.

211.1

Hymnus, de Electione Reverendissimi & Illustrissimi Conuenarum Episcopi & precatorius prosperitatis eius.

Antistes Eminentia
Ex virtuosis ætibus
Plenus viget potentia
In Convenarum finibus.
Hic solis instar cælici
Fulget sacris in ætibus
Et lumen eius vnici
Præcellit astris omnibus.
Si sol & Astra sensibus



Præbent nitorem luminis,
Et iste præbet mentibus
Exempla rectitudinis.

Mentes bono pro tramite
Et pro vitandis inferis
Protectionem quærite
Huius benigni syderis.

O Conuenarum Ciuitas
Deo diebus singulis
Grates repende debitas
De sorte tanti presulisi.

Sit laus Deo, qui sydera
Statumque dicit seculi
Et à Deo fors prospera
Sit Conuenarum præsuli.

FINIS.

